

(qui ob magiæ crimen pœnam mortis metuens scripta sua edidisse putatur, teste *Crespeto discurs. 3. Od. Sat.*) quod visus fuerit uno & eodem tempore tribus in locis. Pythagoram narrat, vel potius fingit *Ælianus* in duobus locis simul visum. Et *Antoninus ab Hennin. Arnif in doctrin. polit. c. 4. in init. p. 101.* allegatus, Ambrosium testatur simul Mediolani divinis rebus adstitisse, & simul Thuronæ exequiis D. Martini interfuisse. Sed *Amphitruo apud Plautum in Amphitruone* nequit illud sibi persuadere. Eleganter ex aliis *Zieritz. hic, verb. alibi fuisse, & verb. opus est preterea*, quæstionem illam, cum Advocati Consilium etiam de substantia defensionis videatur, an ille indistinctè etiam in atrocioribus sit admittendus? in partem disputat utramque, tandem per *l. si non defenduntur, ff. de pœnis*, decidit, quod sic. Quia nimirum alii ex simplicitate, alii ex terrore nequeunt suas proponere defensiones. Vide *Gobler. d. loc. verb. ex simplicitate*, quam rationem singulariter ponderat in crimine veneficii, *Matth. Delr.* (quem valdè commendat *Anton. Fab. ad tit. C. de malef. & mathem. defin. 2. num. 11.*) *5. disq. Magic. 38. Dn. Herm. Goëhaus. in process. jurid. contra sagas & veneficos in necessariis aliquot monitis, monit. 5. p. 17. 18. 19. & tit. 3. in not. E. Vide art. 14. art. 73. concl. 4.*

4. Innocentia rei per testes ejus, vel agnatorum sumptibus, probanda & deducenda. Sin per testes verò captivus, aut ipsius agnati per pauperiem id non possint, ex publico impensæ persolvantur, *Steph. hic*, ubi decidit quoq; copiam indiciorum reo etiam non petenti dandam, *Vent. de Val. in parth. litig. lib. 2. c. 12. num. 35.* At cum ex inquisitione, vel testium depositione innocentia delati non apparuerit, ad indicia prius illata & probata in præsentia Judicis, & duorum Adessorum, nec non & Notarii torqueri tutò poterit. Sed Notarius in conscribendis torti ex eculeo dictis atq; confessionibus omnem adhibebit diligentiam, è quibus accusatori, quantum ejus intererit scire, denunciabitur, confessionumq; exemplum, si petat, dabitur, neq; per dolum quicquam celabitur. Post *Remum Steph. hic.*

ARTICULUS XLVIII.

Veritatis factâ confessione, accuratior indagatio; & primum de cade.

1. Non enim confessio indistincta, implicita, generalis, & non expedita ad condemnationem sufficit, *Zieritz. hic, verb. si tortura passus*, ubi rectè dicit, aliud esse confessionem rei, aliud exploratum facinus, & latius id ipsum antea deduxi, *art. 6. concl. 3. cum seqq.* vide *Steph. hic.* Si quis igitur homicidium fateatur, interrogandus est; qua de causa illud perpetrarit, qua die, qua hora, quo loco, cujus ope, consiliove usus fuerit, ubi cadaver reliquerit, absconderit, aut humo mandarit. (Fassus enim fuit quidam in tortura accusatus, se quendam secum pernoctantem trucidasse, & in fossam horti sui cadaver projecisse, ibidemq; post habitam inquisitionem inventa fuerunt ossa numero septendecim,

I

quæ